DE HÆMORRHAGIIS DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM IN...

Antonio Nicoletti

DE HÆMORRHAGIIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN ANTIQUISSIMO C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

Ad Lauream Medicam

RITE ASSEQUENDAM

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

ANTONIUS NICOLETTI

VENETUS VALVASONENSIS

PATAVII

TYP. CARTALLIER ET SICCA

1838

BARTHOLOMAEO · APRILIS

DOCTORI . MEDICINAE . PRAECLARISSIMO

PHYSICES . CHEMIAE . NATURALIS . HISTORIAE

IN . C. . R. . LYCEO . UTINENSI

PROFESSORI . P. . O.

DOCTRINA . VIRTUTE . INGENIO . NEMINI . SECUNDO

PATRIAE . IMO . ITALIAE . ORNAMENTO

QUI

NEPOTEM . GENITORE . ORBATUM

IN . ARDUO . STUDIORUM . CURRICULO

ALTER . VELUTI . PARENS

SUSTENTAVIT . REXIT

AVUNCULO . QUAM . MERITISSIMO

ANTONIUS · NICOLETTI

FAUSTA . DIE . QUA . MEDICA . CINGITUR . LAUREA

OBSERVANTIAE . GRATIQUE . ANIMI . PIGNUS

SOLEMNITER . DICAT

Haemorrhagia, *αἶμορραια*, a graeca voce *αἶμα* sanguis et *ῥηγνυμι* rumpo, profluvium sanguineum aut cruentum, juxta ejus etymologiam, sanguineae effusionis ob continui laesionem prodeuntis ideam praebet. Vocabulum hocce Hippocrati jam commune pro epistaxi intelligenda, quam summus ille Medicinae pater a vasorum ruptura solum repetebat, ampliore temporibus nostris significatu gaudet; et omnis, ex quacunque efficiatur causa, sanguinis e vasis suis evacuatio morbosa sive copia nimia, sive loco insolito, sive tempore sanitati alieno contingens, *haemorrhagia* dicitur. Tali idcirco sub titulo satis dives morborum series complectitur, quorum in nonnullis sanguinis effusio veluti accidentale symptoma vel tamquam praecipuum signum retinetur, dum in caeteris, relate ad media investigationis nostrae, ut morbum totum per se constituens putari potest.

Quaevis autem sit viventis organismi pars ex qua sanguis effluat, ipsius sanguinis e vasis suis evacuatio modo propter sensibilem continui laesionem sive fortuitam sive factitiam accidit, modo absque manifesta, fluxum explicante, organica mutatione oritur. Primo in casu compellantur haemorrhagiae chirurgicae, traumaticae aut externae; in secundo medicae, spontaneae et etiam internae denomina-

tae fuere. Utrarumque pro praxi magis minusve momentosae statuuntur distinctiones, inter quas illae vel maxime generales spontaneas haemorrhagias spectantes sub duplici hacce serie idiopathicarum nempe atque symptomaticarum redigi possunt. Idiopathica nuncupatur haemorrhagia absque visibili texturae mutatione procedens tum in parte sedem effusionis sistente, tum in quacumque alia quae vel propter analogam compagem vel propter mutuum functionis commercium in prioris circulationem influat. Symptomatica e contra ea quae ab insigni organica alteratione proficiscitur; et prout organica alteratio vel in organo ipso sanguifluxum exhibente aut in alio plus minusve remoto occurrat, haemorrhagia haecce primariae aut secundariae nomine proprius insignitur. Ad primam ex. gr. haemoptoë ex bronchitide, ad alteram haemoptysis ipsa propter cardiectasim refertur.

Ampla symptomaticarum haemorrhagiarum notio ad affectionum, e quibus derivantur, historiam pertinet. Ægre interdum earum natura dignoscitur, ob mediorum in nostra potestate existentium imperfectionem ad intimas, diversos inter organicos textus intercedentes, relationes atque morbosas detegendas vicissitudines quas primitus et originarie pars adfecta aliaeque caeterae sympathico vel antagonistico modo junctae subeunt; necnon ob facilitatem qua primarius morbus praetervidetur. Cum idiopathicis ideo saepe confunduntur; ipsarumque manifestatio non tantum sanguinis exhalationi, quod communissimum, verum, conditionibus positis, et

vasorum laesioni a nonnullis tribuitur. Haec ubi eveniat, vel cito interimunt vel summo vitae periculo sociantur. Haemoptysis in phthisi ulcerosa Bayle instar exempli recensetur.

Circa idiopathicas nunc pertractandas haemorrhagias antiqua erat sententia, eas, quemadmodum traumaticas, a vasorum sanguiferorum laesione, modo rupturam (diaeresim), modo eorum ab acri quoddam erosionem (diabrosim) sistente, pendere. Rupturae speciatim opinio, jam a primo Medicinae ortu sancita longoque recepta aevo, illis quoque jam diapedesim s. sanguinis per distentos vasorum parietes transsudationem, jam anastomosim id. vasorum finium a sanguine adpulso superatorum dilatationem ponentibus adeo communis erat ut tamquam ejus indicium potior haemorrhagiarum numerus haberetur. Verum post nonnullas jam pridem a Morgagnio susceptas anatomico-pathologicas disquisitiones, quas accurate reiteravit Bichat, hic auctor statuit, medico foro pertinentes haemorrhagias nulla post re in textuum continuitate laesionis signa relinquere, neque aliter quam e capillaribus vasis, processu veluti exsudativo, sanguinis effusionem fieri. Hoc sequentibus ille confirmavit observationibus: 1.° Si mulieris menstruorum periodo defunctae uterus examinetur, nulla cicatricularum symbola inveniuntur, quae sane haud deficerent ubi menstruatio propter vasorum rupturam prodiret. 2.° Per pressionem utero factam in foeminae menstruis pollutae cadavere, sanguis ex ejus superficie sub guttularum forma elicitur, quibus essiccatis, super-

ficies eadem integra remanet. Huicce argumento singularis facit casus in Anglica Medica Encyclopedia enarratus, et a D.re Hamilton Edenburgensi collectus, qui in foemina perfecto uteri prolapsu laborante, catameniorum epocha, turgescere capillaria vasa superficialia vidit, e quibus, mediante digiti pressiuncula, serum primo sanguinolentum et deinde sanguinis stillas in rivulos hinc illinc sese congregantes obtinuit. Huc quoque referri possunt cruentae cutis transsudationes sine ulla continui solutione emergentes, illique haemorrhagiarum habitualium casus, in quibus majorem muci copiam sanguifluxum praecedere, mucum dein sanguinolentum excerni et tandem purum sanguinem ab uberiore muci secretione iterum exceptum subire observatum est. 3.° Difficile cicatricularum efformatio conciperetur quoties exiguis temporis intervallis haemorrhagia continuat, demoratur, et novitus postea recurrit. 4.° Accidit denique perraro, et hoc in aneurysmaticis tantum vasis, nunquam vero si de idiopathicis haemorrhagiis agitur, quod in organis, e quibus profluebat sanguis, cadaverum autopsia notabilem detegat laesionem. Sic in individuis ob copiosissimam gastro aut enterorrhagiam morte mulctatis, accurato interni alimentarii tractus examine instituto, nulla superficiei solutio, nulla, quamquam exigua, perceptibilis texturae alteratio reperiebatur: sed mucipara membrana modo maculas sanguine repletas obtulit; modo pallida ac translucida notabatur, subposito e contra vasculari plexu turgescente; interdum hic plexus quoque decolor et

vacuus aderat; tandem nonnullis in casibus innumera rubeo-fusca corpuscula arenae granis similia, sanguinisque procul dubio coagula sistentia per pressionem scaturire conspecta sunt. Ex hisce omnibus igitur aeque computatis legitimum erit cum Bichat concludere, spontaneas haemorrhagias ab iisdem capillaris systematis vasis exhalationes reliquas admittentibus effici, unde rite morbosas inter secretiones prope hydropes, fluxus mucosos etc. locandas esse Neotherici autumant.

Idiopathicae haemorrhagiae in humana tantum specie (singulare phoenomenon!) sine laesione obviae, ab omnibus, quotquot existunt, humani corporis textubus, si densiores veluti ossa, ligamenta, tendines et forsan aponevroses excipiantur, prodire queunt; ast in mucoso adparatu frequentiores et copiosiores contingunt. Et reapse potior haemorrhagiarum stricte morbosarum pars, salutares sic vocatae, menstrua, haemorrhoides, epistaxes, et fere cunctae eae inter criticas vel acriticas recensitae a membranis mucosis proficiscuntur. Quaenam unquam tanti discriminis ratio erit? Non exigua istiusmodi membranarum vitalitas, quarum laxum parenchyma magna pro parte capillaribus vasis nervorum potestati immediate subjectis construitur; facilitas qua eas sanguis subit; conspicuae praeterea vasorum majorum ramificationes quae serpentino fere modo dispositae undique superficie tenus manifestantur; maximum denique cum agentibus externis commercium et forsan specialis ipsarum functio, pro saepissimo a mucoso adparatu haemorrhagia-

rum adventu satis superque monent. Sed praeter hance sanguinis versandi facilitatem muciparis membranis propriam, peculiaris in quibusdam individuis ad cruentos fluxus pronitas viget. Talis pronitas aut si melius placebit praedispositio, non raro haereditaria, radicari videtur in sanguineo-nervoso temperamento, cujus notabiliores characteres delicatulam sistunt cutim, atque arteriosum systema valde evolutum per nervos confestim commovendum. Hujusce temperamenti praedominium unâ cum periodico sanguinis fluxu, quibus obnoxiae mulieres fiunt, fluxu non adeo infrequenter anomalias subeunte, praecipua quoque videntur momenta, cur in foeminis prae masculis cruenta profluvia frequentius enascantur. Pro aetatis autem, vitae generis, climatis, annique temporum diversitate quaedam insuper organa ante alia disposita conspiciuntur. In genere localis in haemorrhagias proclivitas, quae pariter haereditaria esse, organis singulis per se aut evolutionis aut periodicarum functionum tempore specialius competere, vel morborum effectu adquisita adesse potest (Raimann), tum ab organorum singulorum vasculosa structura exhalantibus vasis imprimis divite dignoscitur, tum ab eorum facili cum noxis illis congressu quae capillarium vasorum proprietates potissimum modificent. Quamobrem epistaxis infantili aetati et pubertatis periodo potissimum convenit; haemoptoë juvenili; haemorrhoides et haematemesis virili mediae, et haemorrhagiae ab uropoëtico systemate senibus communiores evadunt, hinc nil mirum si metrorrhagiae durante fluxu

menstruo sic et brevi ante ac post eum frequentius contingant. Generales istae differentiae jam ab Hippocrate et Staahlio statutae ecceptionibus tamen non carent. Cerebralis v. gr. haemorrhagia, passio reliquis vitae periodis fere ignota, in senio provecto plures infestat et occidit. Quoad vitae genus vulgaris extat observatio, artifices illos, qui diutius corpore antrorsum flexo stare adsuescunt, in haemoptyses facilius incurrere, cum e contra qui pedibus continuo insistere coguntur, haemorrhoidibus ut plurimum laborant. Sub frigida demum tempestate ac borealibus regionibus sanguinis effluvia ex intestino recto, vesica atque utero accidere solent; dum ipsorum fontem sub zona torrida necnon aestatis tempore nares et bronchia sistunt.

Causis haemorrhagiarum excitantibus cunctae eae accensentur, quae majorem sanguinis celeritatem atque localem aut generalem plethoram inducunt. Universali favent plethorae, a physicae constitutionis repletione florentique complexione praecipue dignoscendae, simulque sanguinis circulum accelerant sequentes: ciborum tum copiosorum tum maxime nutrientium abusus, potus excitantes cujuscumque generis, quies insueta, fortiores animi motus speciatim repentini, habitualium evacuationum vel parcitas vel suppressio, calor immodicus et rapida pressionis atmosphericae imminutio, intensum frigus, denique improbi labores nimis protracti. Localis plethora, cujus evolutio generalis minime necessaria evadit, juxta cl. Andral, usquedum vita viget, tribus effici potest modis. 1.° Ob

difficultatum sanguinis e capillaribus vasis ad cor refluxum; vitium puta cardiacum, hepato-emphraxim, vasorum sanguiferorum angustationem ab externa aut interna compressione, a corporis singularumve partium situ, positione, motibus et s. p. factam. Quae haemorrhagiae tali sub rerum conditione obvenientes inter symptomaticas plerumque recensentur. 2.° Vel promovetur ab irritatione s. stimulo qui aut immediate in organon adfectum agat, aut mediate supra nerveum systema vitales ipsius organi actiones gubernans dirigatur. Momenta talem, ut Andralius vocat, sthenicam hyperhaemiam excitantia, ea in genere adnumerantur quae phlogosim concitare valet. Non parum quoque eidem contribuit nervorum influxus, sub quorum potestate si potissimum gignitur, non semper ad morbosas pertinet; qualis genarum rubedo a mentis emotione inducta. 3.° Vel tandem pendet a vasorum imminuta tonicitate, validiore simul cordis impulsu, quod activam inter et asthenicam hancce hyperhaemiam discrimen ponit, deficiente. Istiusmodi ab atonia congestio, individuis laxis cacheticis senio confectis haud rara, intelligitur ideo, quia cordis arteriarumque actio, utut exigua normalique debilior, cum minima capillarium vasorum activitate collata, nimia tamen resultet, unde sanguis illuc irruens, quo parvum obtinet renisum, relaxata vasa distendit atque congeritur. — Ex hisce idcirco observationibus constat, plures dari sanguinis distributiones, quin simul functionum energia nimium exaltetur aut notabiliter laedatur; quod

circa causam haemorrhagiarum proximam lucem affundit. — In hanc enim inquirentes cum illis assentimur, qui exhalantium vasorum dilatationem, nemini hodiedum refutatam veluti ultimam et principalem textuum modificationem pro spontaneo quovis sanguinis fluxu necessariam, ipsi congestioni tribuunt. Et revera si perpendatur capillaria vasa, quorum congestio praeexistens (morbosis phoenomenis aut minus praenuntiata) excludi sane nequit, haemorrhagiarum sedem sistere, cumque capillari systemate stricte exhalantia sive emunctoria vasa connecti, neque erit difficilis conceptus, quod in capillaribus a plethora inducta distensio exhalantibus quoque vasis communicetur, et ita partem sanguinis rubram ductus subeat ipsi in normali statu haud patentes, sed *vis a tergo* causa apertos. Haec haemorrhagiarum explicatio, cum ea per anastomosim jam congrediens, licet oculo non visibilis, naturalis tamen est et ab experimentis quibusdam confirmari videtur. Quamplures enimvero auctores de artificiali sanguinis exhalatione variemode et mechanico modo obtenta loquuntur. Sic Boerhaave, ligata in cane portarum vena, enterorrhagiam obtinuit; sic Yelloly in individuis strangulatis non solum extremum venosi systematis turgorem verum etiam cruentam exhalationem observavit; sic alii plures per finium vasorum majorum pressionem vel ecchymoses in cellulari textu vel sanguifluxum assequuti sunt. Haemorrhagiae postremo sanguinis errori inculpatae, sanguini nempe resoluto, chemice mutato, uti in scorbuti casibus vi-

dere est, aliaeque sic asthenicae vel passivae nuncupatae expositam non sternunt opinionem. Etenim et sanguis ille qualitative peccans majorem tantum offert seri ad crassamentum proportionem, crassamentum quidem magis nigrum difficile coagulandum, minime vero notabile principiorum immediate rubram sanguinis partem constituentium discrimen ostendit; et scorbutus, juxta recentiores, inter morbos locatur venosum systema vel maxime adficientes, unde libera per capillaria vasa circulatio facile intercipitur; et tandem omnis haemorrhagia, utut passiva (sicuti inferius melius videbimus) a debilitate sive universali sive locali dependens, quousque vasorum laesio deficit, nullo pacto conciperetur, quin in integris organis, e quibus fluxus instat, major sanguinis aut absolutus aut relativus adpulsus una conflueret. Consequitur exinde haemorrhagiarum elementa duo esse, quorum unum, activum, sanguinis uberiore copia adeuntis cursum sistit, et alterum, passive se habens, ab exhalantium vasorum dilatatione scilicet a capillarium distensione vel relaxatione constituitur. Procul dubio utraque necessario concurrunt; attamen si capillaria vasa facile distensionem vel relaxationem subeunt, minor sanguinis adpulsus et impetus requiritur, qui major e contra adesse debet, ubi illa vasa renituntur. Hac ratione explicatur cur in aliquibus individuis magna cum facilitate cruenta profluvia accidant, cur peculiaribus morbosis phoenomenis interdum instruantur, aut prodromis careant.

Spontaneae haemorrhagiae communiter sporadicae et verno tempore frequentiores, sed epidemice grassantes ab aliquibus auctoribus observatae, quemadmodum diximus, vel peculiares morbos per se existentes constituunt, vel caeteris alligantur affectionibus, praesertim febrilibus inflammatoriis, in quibus accidentale phoenomenon magis minusve momentosum aut criticum sistunt. Manifestantur plerumque post alicujus noxae actionem quae organismum vehementer et subito tetigerit; non raro per simplicem causarum praedisponentium influxum derivari videntur. Illae haemorrhagiae a praecipua individui constitutione vel maxime hereditaria sustentatae constitutionalium sive habitualium titulo agnoscuntur atque sanitati ut plurimum consulunt. — Earum generalia et communia signa non tantum juxta organorum effusionis sedem sistentium diversitatem, sed praesertim juxta diversas individui conditiones sub quibus obveniunt plurimo differunt modo. Discrimen quoque notatur, prout sanguis internis in corporis cavis sive naturalibus sive morbosis colligitur, vel e corpore immediate aut mediate effluit. Quia autem praeter copiam et sanguinis evacuati characteres non raro discrepant, siquidem sanguis modo tenuis, serosus, niger, solutus heterogeneis commixtus materiis, interdum spissior, inflammatus, rubeofloridus, in coagulum facile nitens et purus advertitur, a nonnullis haemorrhagiae in venosas atque arteriosas distinguuntur. — Nunc lente nunc cito intrant, longiori aut breviori dijudicantur tempore decursum ita

jam chronicum jam acutum servantes, atque largum seu parcum, praeceps aut nonnisi guttatim obtinens tradunt profluvium. Pleraeque imo cunctae ubi limites excedant, in specie haemoptysis, terrore, anxietate, metu aegrorum commovent animum; nec inde mirum si multae in circulo turbae variaque phoenomena spastica proficiscantur. Nonnullae, potissimum constitutionales, regularem servant typum fixis intervallis recurrentes, atque determinatam vitae periodum vel plures comitantes; aliae nullo diriguntur typo, seseque inaequaliter ac indefinita epocha produnt. — Recidiva generatim admodum facilis conspicitur, et derivatur non solum a permanenti aut iterata noxarum primum cruentum effluvium parientium actione, verum etiam ideo pendere creditur, quod sanguinis sive accidentalis sive artificialis jactura adeo vasculare systema modificat, ut individuum facilius in plethoram incurrat et sic pro ulterioribus novis jacturis necessitas inde emergat. Sed praeter recidivandi proclivitatem, notabilis insuper haemorrhagiis inest character, ut variae earum species inter se frequenter alternent, multifariam et mirifice vicariantes; quod vel patenti efficitur ratione, vel haec sensibus nostris obvelatur. Tales sanguineae metastases duplici quandoque causarum serie diriguntur, quarum prior ab organis, quibus habitualiter adfluit, sanguinem retropellere tentat, quem secunda versus certam organon allicit. Sic frigoris topica haemorrhoidalibus tumoribus adplicatio et protracta mentis intensio, de haemorrhoidum suppressione deque apoplexiae or-

tu rationem in aliquo casu reddiderunt (Chomel Diction. Médic.) — Commemorandum denique est idiopathicas haemorrhagias, quousque modum non excedant, ut plurimum criticas haberi et symptomaticas quoque salutares sese praestare si mali magnitudini respondeant; inhibitas e contra atque suppressas, nominatim habituales, plurium morborum indolis generatim phlogisticae momentum causale fieri, atque, Raimanno teste, per depletiones sanguinis artificiales nunquam perfecte suppleri vel compensari. Ex saepissimo autem debito largiore ipsarum recursu, noxii, qui in animali oeconomia effectus redundant, sequentes conscribuntur: debilitas ac universalis delassatio, turgoris vitalis et caloris imminutio, organorum in specie locomotioni inservientium imbecillitas, summa e contra sensilitas, cutis pallor, variae sensuum hallucinationes, obtutus languidus, pulsus debilis, digestionis turbae, sanguis minus plasticus serosus, hydropes aliaeque cachexiae atque in multiplices nevroses opportunitas. — Exitus lethalis propter fluxum immodicum nulloque pacto supprimendum occurrit perraro; ast contingente, sub convulsionibus, spasmis, delirio placido, sopore, protracta lipothymia aeger supremum diem explet. In cadaveribus tunc praeter anhaemiae signa interdum nil reperitur; modo ecchymoses variae in centro rubro-bruneae et ad peripheriam versus magis magisque decolores notantur; quandoque inflammationis vestigia advertuntur.

Hisce de generali haemorrhagiarum historia consideratis, nunc in symptomata quae eas comitari

solent, et proinde in earum characterem sive activum sive passivum inquirere melius licebit. Acutae haemorrhagiae, primum intrantes et in individuis obvenientes junioribus robustis, causis plethorae obnoxiis, prodromis fere semper phoenomenis, *molimen* sic dictum *haemorrhagicum* praebentibus, annuntiantur: quemadmodum universali individui dysphoria, doloribus obtusis erraticis; dein organi, ex quo fluxus instat, pondere, pressione, intumescentia, pulsatione, pruritu, dolore, quibus saepe frigus cum aestu alternans, pulsus frequens plenus fortis dicrotus; cutis rubor junguntur. Occurrente hinc generali tremitu, a calore subsequuto, sanguis effunditur praeceps, facile coagulandus parumque seri offerens, et eo ordine quo extravasatur, imminuuntur sensim localis congestionis signa, quibus amotis, effluvium communiter consistit, et aeger brevi post pristinae imo meliori valetudini restituitur. Sin vero haemorrhagia protrahitur et copiosissima accidit, horripilationes tunc subeunt, remotiores partes volumine suo decrescere videntur, pallor per totum diffunditur corpus, facies sudore copioso frigido tegitur, calor animalis deprimitur, et extremitates frigescunt; pulsus redditur parvus, debilis, contractus, profundus, superaccedunt aurium tinnitus, vertigines, non raro convulsiones, syncopes postremo et deliquia scoenam claudunt. — Chronicae e contra haemorrhagiae, frequenter sese reiterantes atque in subjectis cacheticis, debilitatis occurrentes, generatim symptomatibus pro conspicua et forti organismi reactione testantibus carent. Intrant plerumque

sine prodromis, neque eas, quamquam leves, luculenta individui ammelioratio sequitur. Sanguis qui a pluribus corporis partibus eodem tempore interdum extravasatur, ater, serosus, parum congulabilis cernitur; et si ejus quantitas modum exsuperet, facilius aegri status pessumdatur, debilitas increscit, et phoenomena immodici fluxus antea recensita subeunt.

Ex brevi hacce symptomatum expositione omnibus patet haemorrhagias, prout diversae sint individui conditiones sub quibus obveniunt, diversis insigniri phoenomenis. Earum character sive indoles mutatur propterea? Priores active et secundae passivae merentur dici, quarum illae propter nimiam textuum activitatem, propter erethismi statum, ac fortem nimis sanguinis adpulsum efficiantur, et alterae vasorum relaxationem, imbecillem renisum, atoniam, quibuscumque simul augmentatae excitationis signis deficientibus, causam unice agnoscant? Haec haemorrhagiarum distinctio, topicae congestionis et vasorum sanguiferorum reactionis praesentiae aut defectui innixa, a recentioribus talibus refutatur argumentis. Datur inflammatio, potissimum chronica, quae generalibus interdum hypersthentiae symptomatibus destituitur; et tunc anne putandum quod ejus indoles vel potius gradus mutatus sit? Menstruatio communiter manifesta uteri congestione praenuntiatur; ast sine prodromis quandoque intrat; nunc in primo casu activa, in secundo passiva vocabitur? Certissima non raro augmentatae activitatis organicae signa alicujus haemorrhagiae principio copulantur, quae, durante fluxu, im-

minuuntur non solum, sed penitus evanescunt; talis itaque haemorrhagia, in suo decursu, ab activa in passivam transitum ne faciet? Quid dicetur de illis sanguinis profluviis, quae sub vitalis debilitatis auspiciis effecta, a phlogosibus excipiuntur? Qua ratione, cum Tommasinio loquar, in cruento profluvio ad mentem Brunonis atque Cullennii passivo, a debilitate s. vel universali asthenia pendente, sanguis e datis tantum organis e determinatis vasis potiusquam ab omnibus egreditur? Id intelligere equidem nequimus, nisi quod illa organa illa vasa partialis, quamquam parum manifestus, stimulus comprehendat, unde sanguinis affluxus alliciatur; vel quia in iisdem partibus lassitudo major aut debilitas praexistat, cujus ope sanguis facilius vasa distendens evacuetur. Atqui priore in casu morbus a stimulo pendet; ipsae vigent conditiones activam haemorrhagiam faventes, neque aliud occurrit discrimen, quod stimulus uni tantum loco restrictus et individuum laxum debile plectens, parum propterea advertitur. In secundo de morbo agitur topico, et profluvium ideo contingit, quia universae circulationis vis, utut languescens relate iis vasis magis debilitatis, nimium excedit. In utrisque ergo casibus major sanguinis adfluxus ad organa proxime haemorrhagica promovetur, aequilibrium actionem inter vasorum majorum et capillarium tollitur; in utrisque universi circuli impetus capillarium renisum exsuperat. Quapropter circa modum quo et activa et passiva haemorrhagia promanat, nulla interest differentia, una eademque vigent elementa, inter quae va-

sorum majorum activitas, aut absolute aut relative nimia, principalem sibi vindicat partem. Sed ut melius cuncta confirmentur, symptomatum adparatum, quo passiva sic dicta haemorrhagia istruitur, atque medendi rationem respicere opportet. Nullus dubitat symptomata differre atque graviora esse; nihilominus neque sanguinis adfluxum neque stimulum excludunt; indirectam non raro debilitatem, virium oppressionem dissimulantur; nunquam vero pro nulla organismi, saltem locali, reactione deponunt; quam fortem et energicam ab individuo debili cachetico a minima nocenti potentia vulnerando expectare, foret absurdum. Relate remedia, omnes fere auctores, Brunone non excepto, consentiunt, in therapia passivae haemorrhagiae facienda, aut nullum activum pharmacum, aut corporis quietem, diaetam tenuem, frigoris, adstrigentium, acidorum, subacidorum adplicationem commendandam esse, et e contra stimulantia mera vel proscribenda, vel gravioribus tantum in casibus experimenti adinstar, atque ad symptoma aliquod periculosum sublevandum usurpari posse. Sic scorbutus, qui a nonnullis veluti generalis haemorrhagia a debilitate suboriente retinetur, acidis solventibus ac diaeta praeprimis vegetabili curatur, neque sanguinis emissiones interdum recusat; sic haemoptysis quaecumque in phlebotomia praecipuum agnoscit remedium, sic enterorrhagia et ipsa melaena, morbus ante reliquos in speciem asthenicus, nullam aliam expetit medelam quam antiphlogisticam a tonica non stimulante deinde exceptam, et *ubi*, de morbo nigro

jam Tissot experientia edoctus animadvertebat, *secundum praesumptionem debilitati et atoniae viscerum, stomachica et sanguinem commoventia remedia adhibebantur, augebatur calamitatum series et cruptio cruenta accelerabatur;* etenim, sequitur Tissot, *cardiaca quaevis, spirituosa, idque genus alia non morbum sed aegrum jugulassent.* Quibus addere fas est, remedia plurima stimulanti pollere virtute quondam credita, aevo nostro oppositis aut saltem diversis insigniri proprietatibus demonstratum esse; atque stimulorum solummodo eorum usum in cruentis profluviis interdum praestare, quae in nervos primitus agentia, et sensibilitatem divergunt et sanguinis revulsionem conciliant, quae utique et pro phlogosi prodesse experientia testatur.

Quamobrem quum et causae et adventus modus, et medendi methodus essentialem activum inter et passivum profluvium differentiam non ponant, et ipsa phoenomena, ratione tantum subjecti aut circumstantiarum discrepantia, neque semper constent, neque subsequam reactionem excludant, quin imo non infrequenter cum illis activae debito largioris confundantur, haemorrhagias uno, activo, charactere semper instrui, sed modo ab universa organismi reactione et passione, modo tantum topica praenuntiari ac consociari autumandum nobis est.

Haemorrhagiarum diagnosis communiter plana et facilis, a sanguinis non raro internis in corporis cavis seu naturalibus seu morbosis collectione obfuscatur. Tunc ad dubium omne absolvendum,

praeter causas disponentes et occasionales atque peculiarem aegri diathesim, symptomatum quibus cruenta profluvia stipari solent non solum, sed eorum quoque a fluidi alicujus cumulatione inde emanantium existimatio aequa Medico summopere est necessaria. Horum pariter momentorum perscrutatio attenta, una cum effusionis modo, diuturnitate atque liquidi evacuati characteribus non parum etiam conferunt pro fluxus fonte detegendo, qui in eo casu interdum latet, quum sanguis, antequam e corpore egrediatur, longum faciet iter, plura organa invadens. Tandem a praegressis praeprimis circumstantiis, individui totius cognitione, phoenomenorum omnium relatione nec non jacturae et therapiae forsan institutae effectibus patebit, an haemorrhagia salutaris aut morbosa, idiopathica et substantiva vel vero symptomatica et secundaria, vicaria etc. reputari debeat.

Prognosis ab organorum fluxum exhibentium diversitate, a jacturae copia et modo, a difficultate in ejus fontem agendi ac supprimendi, a diversis individui conditionibus, necnon a momentis excitantibus generatim elicitur. In specie vero, acuta haemorrhagia prognosim meliorem permittit et plerumque critica et salutaris conspicitur, chronica e contra, debito largior et longius protracta, propter non exiguas turbas quae in animali oeconomia tum quoad sensiferam tum quoad organicam vitam inde suscitantur, periculo plena imo et mortalis evadere potest. Tandem constitutionales, item periodicae factae, dummodo nec recidivas frequentiores nimis

offerant, neque immodica copia peccent, omnem circumspectionem et cautelam postulant ne cito supprimantur; plurima enim mala, tam acuta quam chronica, abs habitualium fluxuum et praesertim cruentorum suppressione subsequa nemo est qui ignoret.

In therapia cujusvis haemorrhagiae facienda, ante omnia convertatur attentio an salutaris vel stricte morbosus sit fluxus habendus. Haemorrhagia salutaris, quousque talis manet, non cohibeatur, sibi potius commissa haud turbetur, quin imo eam juxta circumstantias per fotus emollientes, calidos, hirudinum vel cucurbitularum ipsi parti effluvio laboranti aut vicinae adplicationem sollicitare, atque interdum, prioribus insufficientibus, per phlebotomiam supplere juvat. Haemorrhagia autem stricte morbosa, talis nempe quae copia excedente, fluxu impetuoso, duratione longa vel loci dignitate nocere minatur aut noxia jam evasit, omnem Medici curam exposcit, ut sine mora cohibeatur. Causis itaque, si fieri licet, fluxum excitantibus quam citissime amotis, principalem therapiae partem congruum aegri regimen explet. Commendantur sequentia: animus sit pacatus, tranquillus, corporis quies ac situs, diversus quidem pro diverso haemorrhagiae loco, sed in genere potius erectus; compressionis omnis externae libero sanguinis circulo obstantis remotio, integumenta et ipsa lectuli stragula levia; aër aegrum ambiens purus, temperatura moderate frigida, calefacientium omnium atque stimulorum tum generalium tum localium absentia.

Sic statuto aegri regimine, quod unicum non raro sufficit, ea adhibeantur remedia individui conditionibus morbique vi adaequata, quae aut absolutam aut relativam sanguiferi systematis irritabilitatem ac mobilitatem exaltatam deprimere valent, in quorum usum pro circumstantiarum individualium et specialium complexu, atque haemorrhagiae duratione et modo magis minusve insistatur oportet. Inter praestantissima phlebotomia recensetur, largo quidem vulnere non vero ad syncopem usque, quemadmodum aliqui voluerunt, organo, quoad fieri potest, haemorrhagico proxime, plerumque ex brachio alterutro instituta; quippe rapida sanguinis eductio vim cordis et vasorum majorum actionem tutius ac promptius non solum coërcet, sed et plethoram citissime aufert, et aliam sanguinis directionem conciliat. De phlebotomiae utilitate, ipsis hirudinibus aut cucurbitulis scarificatis ob promptiorem ejus efficaciam ideo praeferendae, omnes fere practici simul conveniunt, quum a phlebotomia plerumque haemorrhagiae cujusvis tractamen incipiant, a qua abstinentur solummodo, ubi aegri status et vires jam nimis labefactatae ulteriores jacturas recusant. Quae autem sanguinis sit e vena mittendi copia, in genere a topicae congestionis, symptomatumque concomitantium intensitate atque ab individua aegri constitutione aptius definitur. — Praeter sanguinis massae imminutionem ac derivationem phlebotomiae ope, plurimi quoque interest, scopo pariter revulsivo ac derivativo, irritationes in partibus sympathicis aut antagonisticis,

atque suppletorias secretiones, per alvum et urinas quammaxime, excitare, in universum simul organismum antiphlogistica methodo agendo. Tali itaque pacto commendantur interne: praeter diaetam tenuem, evitatis simul cibis et potubus calidis, pharmaca subfrigida, refrigerantia, ipsudque frigus per glaciem adhibitum: propterea quod ejus virtus adplicationis loco minime circumscribitur, verum et remotioribus in partibus sympathicam quasi vasorum restrictionem determinat; aqua pura succis diversis acidula reddita; decocta mucilaginosa, acida, nitrata; emulsa amygdalina nitro aut cremore tartari scatentia; eccoproticorum aliorum et enematum porrectio; cum quibus non raro narcotica, aqua lauro-cerasi, hyosciamus, aconitus, digitalis peroptime uniuntur. Nonnulli vomitoria et sudorifera etiam praedicant, ab iis tamen prudens erit in genere abstineri, quum pro eorum usu nondum satis experientia testaverit, atque speciales potius indicationes requirantur. Tandem rebus male incedentibus et fluxu diu nimis continuante, fortiora adstringentia in subsidium vocari quoque possunt, quemadmodum acida mineralia diluta, alumen, decocta corticum salicis, quercus, hyppocastani, punicae granatum, et nominatim ratanhia, cujus extractum laudibus extollitur. Nihilominus circa adstringentia, jam Hoffmann atque Burserius admonuere, cautus sit eorum usus, atque a mitioribus ad fortiora procedatur; neque ipsis fides nimia habenda aut debito longius insistendum, quippe palliative plerumque agunt, et

tantum praestant si de partium relaxatione sermo sit.

Inter externa remedia, cum quibus valdopere directa therapia coadjuvatur, numerantur: pediluvia, maniluvia tepida, vesicantia, rubefacientia ad extremitates, frigus parti haemorrhagia laboranti eidem aut proximae impositum, balneum Smuckeri, saturnina, frigidae aluminis, gummi-kino, vitrioli martis vel zinci solutiones; gallarum infusa; acidum sulfuricum dilutum; vasorum fines mechanice obturantia, uti linteum carptum, torundae, agaricus chirurgorum, spongia subtilis praeparata etc. per apte directam compressionem adjuta; cucurbitae siccae et scarificatae, hirudines locis quidquam remotis admotae. Haec cura localis et praesertim topica frigoris et adstringentium adplicatio non prius generatim valet, quam erethismi statu per antiphlogisticam therapiam universalem sublato et irritatione omni dissipata, neque sola sufficit, nisi motus intrinsecus et nimius humorum ad organon adpulsus fracti antea fuerint vel simul frangantur, et non raro, tractamine universali tardato aut plane omisso, noxia per temporis dispendium resultat. (Raimann)

Sedata haemorrhagia, ut recidiva praevertatur, salutiferum tractamen contra eam institutum, pro circumstantiis breviori aut longiori adhuc tempore continuare plerumque opus est, atque specialius agere in primariam affectionem, si subest, quae profluvio ansam praebuit. Quoniam autem et momenta morbi causalia, nec non aegrorum constitu-

tiones atque relationes externae, organorum quae sanguinem fuderunt dignitas atque jacturae effectus communiter discriminant, singulus videt, hisce omnibus medicum respicere atque remedia adcommodare debere. In genere tamen, quia ut plurimum haemorrhagiis phlogistica conditio magis minusve manifesta copulatur, antiphlogisticorum utilitas et praesertim nervosam sensibilitatem, vasorum motus atque sanguinis crasim moderantium, satis patet.

Therapia, chronici profluvii iisdem fundamentis ac illa jam exposita innititur; attamen cum aegri status ob jam perpessas jacturas debilitatus fortiora antiphlogistica prohibeat, largae nimis et generosae artificiales sanguinis eductiones non instituantur, at potius cum revellentibus et derivativis atque adstringentibus (quippe partium relaxatio plerumque subjacet), morbus tractetur. Ingruente autem periculoso aliquo symptomate, etenim in talibus profluviis symptomaticae therapiae frequentior datur occasio, non adhibeantur remedia absolute stimulantia, quae noxia serius ocyus evadunt, sed vel pharmaca nulla vel blanda tantum administrentur.

In vicariarum haemorrhagiarum tractamine, medicus omni studio agat, ut fluxus loco ejus primitivo restituatur, per topicas hirudinum, cucurbitularum, fotuum emollientium etc. adplicationes aliaque interna remedia, quae specifico fere modo in organon primarium sanguifluxum habitualiter porrigens actionem exserunt. Quod si fieri nequit et partis adfectae

dignitas talis sit, ut facile ejus functiones turbentur, praestat summopere, artificiales secretiones, aliorsum humorum adfluxum derivare, atque haemorrhagiam ipsam cum sanguinis ductionibus tempestive institutis praevertere. — Hisce principiis haemorrhagiae cujusvis prophylaxis innititur.

Demum quod reconvalescentiam attinet, etiam haec tractamini directo adcommodetur fas est, et eam promovere juvat per diaetam sic dictam Hippocratis, per cautissimum stimulorum atque valde nutrientium usum, atque per tale vitae regimen quod et morigerum sit et momenta omnia nervosum et sanguiferum systema nimis adficientia evitet.

THESES DEFENDENDAE

I.

Pulmones et hepar analogis praesunt functionibus.

II.

Vera non datur vitalis oppositio.

III.

Utrum et quo pacto morborum character permutetur, adhuc unum ex Medicinae mysteriis.

IV.

Eorum opinio, qui diversis remedia non vero oppositis insigniri proprietatibus statuunt, subtilis quidem, sed justa.

V.

Cadaverum autopsia tantae est pro Pathologia utilitatis, quantae fere Anatomes pro Physiologia.

VI.

Omnis congestio, utut a vasorum debilitate effecta, in activam tendit.

VII.

In quavis Medicina facienda, quae systemata inter et organa textus inter et textus relationes vigent, sunt primitus respiciendae.

VIII.

Hinc egregius Physiologus egregius Medicus.

IX.

Curare nescit qui expectare nescit.

X.

Medicus morbum instantem praevertens plus praestitisse dicendus, quam qui praesentem licet gravem curaverit.

XI.

E prognosticis Medici fama saepius pendet.

XII.

Experientia Medicinae basim quidem sistit, sed ratio et genius illam faciunt.